



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Veri & Pii Sacerdotis Idea Seu Vita R. D. Iacobi  
Merlo-Horstii, Pastoris B. Mariæ Virginis In Pascvlo  
Coloniæ, SS. Theol. Licent.**

**Crombach, Hermann**

**Coloniæ, 1645**

Orationes de Passione Domini, singulis Horis Canonicis accommodatae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14591**

& in terra, ex omni affectu triumphantis &  
 militantis Ecclesie, ad gloriam tuam, & laudem  
 B. Virginis, & Sanctorum omnium, & eorum,  
 quos hodie, vel ex decreto Ecclesie, vel tanquam  
 Patronos sponte mea colendos suscepi, ad me-  
 moriam Passionis Iesu Christi Saluatoris mei;  
 in gratiarum actionem pro omnibus beneficijs  
 tuis: ad salutem omnium, qui se mihi commen-  
 darunt: in satisfactionem pro peccatis meis, &  
 gratia tua impetrandi, & hac virtute N. &  
 concede, vt benedicam te in omni tempore; &  
 sicut laus tua semper est in ore meo, sic etiam  
 corde & opere te predicem, vt sobrietate, mo-  
 destia, zelo & deuotione, puritate, obedientia,  
 mansuetudine & patientia tibi placeam; vt o-  
 mnes te ament & glorificent, qui es benedictus  
 in secula, Amen.

ORATIONES DE PASSIO-  
 ne Domini,

Singulis Horis Canonicis accom-  
 modata.

Ad Masutinas.

**D**omine Iesu, per amorem, quo tuos in-  
 sine dilexisti, per sanguineum sudorem,  
 D S quomodo

quem in horto fudisti, per iniurias & dolores quos à tuo Discipulo traditus & venditus, ab impijs Iudeis ligatus & distractus sustinuisi, absolue meorum vincula peccatorum, trahere & liga hanc animam meam, tibiq; adstringe triplici charitatis funiculo, qui dissolui non possit, & in eternum non separet à te. Qui viuis, &c.

## Ad Primam.

Domine Iesu, qui horâ diei primâ Pilato presentatus, Iudex cœlestis iudici terreno, & reus falsorum criminum ab impijs Pontificibus factus fuisti; succurre nobis miseris peccatoribus in iudicio, vt non aternis supplicijs cum impijs condemnemur, sed tuis fidelibus iungi in cœlestibus mereamur. Qui viuis &c.

## Ad Tertiam.

Domine Iesu, qui horâ diei tertiâ flagellis casus, & spinis coronatus fuisti; tribue nobis famulis tuis, vt corpora nostra voluntariâ castigatione macerantes, sub capite spinoso digna senseri membra mereamur. Qui viuis &c.

## Ad Sextam.

Domine Iesu, qui horâ diei sextâ transfossis manibus & pedibus, è Crucis ligno pependisti, iisdemq; clavis damnationis nostra chiro-

gra-

graphum in patibulo confixisti ; concede anima mea , vt liberata à seruitute peccati , has sanctissimas plagas tuas , tanquam insignia liberationis mee semper feram in medio cordis mei. Qui viuus &c.

## Ad Nonam.

Domine Iesu , qui horâ diei non.â , consummatis omnibus , inclinato capite Deo Patri Spiritum reddidisti , at que in mortuum hominum genus spiraculum vitæ inspirasti ; concede mihi peccatori , vt qui totum me tibi debeo pro me facto , totum me iterum reddam pro refecto , nec iam mihi , sed tibi , qui pro me mortuus es , in perpetuum viuam. Qui viuus &c.

## Ad Vesperas.

Domine Iesu , qui horâ vespertina è Cruce deponi mortuus in sanctissima Genitricis tuæ brachia voluisti ; concede propitius , vt & crucem meam , quam mihi largiri pro tua bonitate volueris , nunquam in vita derelinquam , & in morte ex ea depositus , per clementissimæ Matris tuæ manus ante te merear presentari. Qui viuus &c.

## Ad Completorium.

Domine Iesu , qui horâ Completorij in sepulchro quieuisti , & à Matre tua mæstissima ,

& ab alijs mulieribus planctus fuisti : fac nos, quesumus, tuam sanctissimam Passionem veris lachrymis plangere, nec vnquam ea, per qua iterum crucifigaris, admittere. Qui viuis, &c.

*Collectas  
seligit  
meliores.*

Familiares sibi Collectas quasdam fecerat, quibus certas virtutes, amorem, castitatem, humilitatem, patientiam & similes à Deo flagitabat; præterea eam de Venerabili Sacramento : *Deus qui nobis sub Sacramento mirabili &c.* & pientissimam orationem, *Anima Christi sanctifica me*, frequenter vsurpabat, præsertim cum trans-eundū templum &c. Reliquas eius preces vocales licet haurire ex Fasciculo thuris & myrrhæ A. 1629. vulgato, & Paradiso animæ.

*Medita-  
tio eius.*

Vocali mentalem adiungebat, vitam Christi Deiparæq; sepius contemplando, pios sæper affectus, proposita, colloquiaq; eliciendo è singulis vitæ Christi mysterijs; videri de hoc citatus Fasciculus potest. Auctum piè meditandi studium, ex quo per octo dies aliquoties se asceticis S. Ignatij Commentationibus exercuit. Exinde praxin vitæ Spiritualis Ludouici de Palma Societatis Iesu voluit assidue, mentemq;

ma-

magis à rerum creatarum amore ad diuina contemplanda erexit.

Oblationem, quam peracta meditatione solitus est adhibere, & Breuiario inseruerat, subijciam.

OBLATIO MEDITATIONIS.

**S**Vscipe, Clementissime Pater, hoc meditationum sacrificium Passionis D. N. I. C. quod in vnione omnis eius reuerentia, charitatis, obedientia, mansuetudinis, patientia, &c. in Passione sua exercita, & omnium laudum tibi in hac vita exhibitarum, & in aeternum exhibendarum, tibi ego vilitatis abyssus cum omni eo, quod sum & possum, in tempore & aeternitate offero; praesertim in vnione articulo huius N. à me iam meditati aut meditandi, ad tuam & ipsius gloriam, laudem & benedictionem perpetuam, in plenissimam super beneficij gratitudinem, in omnium Sanctorum honorem, in totius Ecclesiae profectum, vt in Purgatorio existentes N. & N. liberentur, peccatores conuertantur, iusti in gratia conseruentur, & praesertim vt ego ipse & omnes mihi in oratione commissi, tanto sacrificio iuuentur.

\* \*

\*  
D 7

CA